

tis sui intrasse fertur uxorem, nec tamen evadere potuit ultionem. Tu ad sponsam regis Christi temerandam cubiculum domini dominorum impudenter ingressus, quomodo esse poteris impunitus? Ac si forte vidua, aut quaecunque fuerit illa, nondum professa continentiam castitatis, quaelibet illa sit, uxor dici non potest, prostituta, uterque vestrum nota semper inuretur infamiae, nec aliter tanti criminis macula poterit aboleri, nisi aut publica legum saecularium saeviente censura adulterium mortibus expietur aut certe^{x)} profundis afflicti cordis gemitibus et verae poenitentiae iugibus, dum vivitur, lacrymarum fontibus abluatur. Extat^{y)} ergo^{z)}, qui dicat crimen hoc nuptiis emendandum et de scelere statim nomine coniugium censeat esse vocandum. A me invitatus veraciter audiet adulterium nullatenus dici coniugium. Coniugium enim religiosi nominis vocabulum est.

CAPUT XX. His sanctorum patrum verbis atque sententiis subiungemus³²⁴ adhuc paucas ex sacris canonibus sententias, quas in contemplationem domini nostri Iesu Christi et honorem ac pietatem sanctae matris ecclesiae, cuius visceribus deo nati, cuius honoribus illustrati estis et aeternaliter illustrandos vos esse confiditis, religiosa quaesumus devotione audiat et instantissima^a cura atque industria in commisso vobis christiano populo agnosci, revereri atque observari domino in omnibus protegente et cooperante faciat. Tanta namque res ista est, pro qua satagimus et supplicamus, id est castimoniae et sanctitatis custodia, ut pro ea commendanda atque tuenda etiam nos ipsos offerre libenter debeamus exemplo beati et gloriosi Baptistae Iohannis, qui inter cetera praedicationis suae praeconia etiam regem ipsum Herodem propter istiusmodi adulterinum coniugium tanta constantia increpavit atque corripuit instanter annuntians et dicens illi de uxore fratris sui Herodiade, quam plus quam raptor etiam virtute et potentia regiae potestatis obtinuerat et detinebat: *Non³²⁵ licet tibi habere eam*, ut pro huiusmodi causa et vincula et carcerem aequanimiter sustinens novissime gladio maluerit obtruncari quam a veritatis et iustitiae praedicatione cessare. Et ideo vere martyr Christi, quia ipsius veritatis et iustitiae martyr.

x') terrae *Вн.*

y') Exeat *Si.*

z') rogo *Вн.*

a) instructissima *Si.*

carrefour des traditions patristiques au IX^e siècle. Études réunies par Pierre Chambert-Protat / Franz Dolvec / Camille Gerzagnet (Collection de l'École française de Rome 524, 2017) S. 13–57.

324) *Siehe unten S. 529–539.*

325) *Matth. 14,4.*